



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Aliud priuilegium libertatis confirmationis Apostolicae Monasterij &
possessionum, & de eligendo Praepositum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

Aliud priuilegium libertatis confirmationis Apostolicæ
 Monasterij & possessionum, & de eligendo
 Præposito.

INNOCENTIUS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis *Beroni* Præposito eiusq; fratribus tam præsentibus quàm futuris in *Ingerbachensi* ecclesia regularem vitam professis in perpetuum. Apostolicæ sedis clementiæ conuenit religiosos viros diligere & eorum loca piæ protectionis munimine conuere. Eapropter dilecti in Domino filij venerabilis fratris nostri *Henrici Ratissponensis* Episcopi precibus inclinati petitiones vestras rationabiles clementer admittimus & præfatam Ecclesiam in qua diuino mancipati estis obsequio sub beati *Petri* & nostra protectione suscipimus & presentis scripti priuilegio communimus statuentes vt quascunq; possessiones, quæcunq; bona eadem ecclesia in presentiarum iustè & canonicè possidet aut in futurum rationabilibus modis Deo propitio poterit adipisci firma vobis vestrisq; successoribus & illibata permaneant. Sancimus etiam vt ordo Canonicus secundum beati *Augustini* regulam perpetuis ibi temporibus inuiolabiliter conseruetur. Obeunte verò tenunc eiusdem loci Præposito vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilij sanioris secundum Dei timorem & beati *Augustini* regulam canonicè prouiderint eligendum. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorumq; pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua Diocesani Episcopi canonica iusticia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptauerit secundo teròq; commonita si non satisfactione congrua emendauerit potestatis honorisq; sui dignitate careat reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri *Iesu Christi* aliena fiat atq; in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri *Iesu Christi* quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant Amen.



Ego *Innocentius* Catholicæ ecclesiæ
 Episcopus II.



Datum *Lat.* per manum *Gerardi* sanctæ *Romane* ecclesiæ presbyt. & Cancellarij V. Idus Martij Indict. V. An. incarnat. Domin. M. C. XLI. Pontificatus verò Domini *Innocentij* Papæ II. Anno XIII.

Confir.